



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispvtatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

**Dévay Biró, Mátyás
[Nürnberg], [1537]**

VD16 D 1300

Propositio XXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Iustis , quibus satis est meritum Christi, excludimus , non
Monachis & hypocritis, qui non alieno sed proprio uolunt
saluari merito, quod est illud , de quo Augustinus in prolo-
go Psalm. 31. Si quod debetur istis operibus Deus redderet,
utiq̄ damnaret , non tibi Deus reddit debitam poenam, sed
donat indebitam gratiam.

PROPOSITIO XXXII.

O Mn̄ia opera infidelium & peccatorum sunt peccata.

CENSURA.

V Tinam calidus esse aut frigidus &c.

CONDÉM. CENSURÆ.

IN hac propositione Dialecticum agit Frater, & me uult
Iesse uel calidum uel frigidum. Proximo inquit male uelle
le, apud infidelem est peccatum , ergo bene uelle non est pec-
catum, hoc sequitur, ait, per consequentiam, in ipso termino-
rum in oppositis contradictorijs , quā nullus qui Logicam
uel a limine salutauit abnegabit. Hæc Frater, & alia nuga-
tur inepte. Non lusit operam in Logica meus Doctorculus
quam arbitram uult esse ueritatis . Sed cum secundum Au-
gustinū Dialectica sit definiendi, diuidendi, argumentandi
scientia, auricula assini (ut ipsius uerbis utar) palam erit, q̄
male diuidat inter opera fidelium, & infidelium : Male uelle
est peccatum, igitur bene uelle non est peccatum . Homo argu-
tus forte Hieronymum sequitus est, qui & ipse pari enthi-
memate uititur : Bonū est non tangere mulierem, igitur &c.
Sed duplices sunt peccatores, Qui nō credunt in Christum,

o 3 talium

taliū opera sunt peccatum. Rom. 14. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Qui credunt in Christum, et si natura peccatores sint, tamen gratia, electione, adoptione iusti sunt, fide absorbentur eorum peccata. Ioannes: Qui natus est ex Deo non peccat &c. Ignorat doctor quid sit ciuiliter esse bonum, iustum, & Euangelice. Ethnicorum multi fuerunt iusti, ciuali, ac humana iustitia, sed fidei expertes in Christum perierunt, & Fratri non succurrit Dialecticorum regula, quod communiora uocabula prius sint diuidenda, quam definienda, alia est uoluntas piorum, alia impiorum, inter quos fides discernit. Sequitur ergo, q̄ hæc consequentia ut est absurdum, & doctore Parisiensi digna, ita est intemperita, antecedens uerū est, sed consequentia falsa, quia non quodlibet bene uelle est iusticia coram Deo, etiam si sit coram hominibus, cætera quæ ineptit, nihil ad rem faciunt.

PROPOSITIO XXXIII.

Nihil discriminis est inter Christianos apud Deum.

CENSURA.

Iste balbutit in hac parte.

CONDEM. CENSURÆ.

Mira subtilitate suam ornat censuram hic Frater, & ne scio quæ superuacanea persequitur, sed ignorat quid persona significet in scripturis. Nego prosopolyptian & personarum doctrinam, in externis actionibus & donis non iustificatiibus. Magna est doctrina, ut probatum est in apologia, sed fide omnes pares sumus, & non moratur Deus, ætatum, conditum.